

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

pio & Bolhemio, quos velim salvos jubeas meis verbis amanter & reverenter. Scripsi Basileæ, 8. Octobr. Anno 1770.

Tuus ex animo

S. Sulcerus.



XIX.

Juvenes, presentium latores, mihi commendati sunt, alter ex Franconia, alter vero ex Austria, quos libenter apud nos retinuissem, juvissemque, si qua licuisset, cum videantur pie educati & ingenio non carere; verum destituimur occasione & facultate, quam tamen expromptam esse persuadent sibi, qui ex longinquis regionibus nudi inopesque ad nos se conferunt. Nunc ergo isthuc se recipiunt, & sperant per T. d. se promotum iri. Negare illis, quam enixè postularunt, commendationem non potui, etsi sciam, tua te sponte præstiturum, quæ possis. Filii valent & faciunt officium. Lectionem Bibliorum, & D. Augustini aggressi. Philippus ob capitis destitutionem præcavendas heri usus est pillulis, ex D. Platteri consilio, quibus purgatus est leviter, venam etiam paulò post incisurus, ejusdem consilio, ut firmiter sit valetudo. Bene vale in Christo. Datum 12. octobr. an. 70.

Tuus ex animo frater

Sulcerus.

XX.

S De afflictâ valetudine tua intellexeram & literis & relatu amicorum, fuitque ea mihi significatio peracerba, neque exhilaratus magis nunc sum: cum intelligam, per DEI gratiam à duobus savissimis tortoribus te liberatum esse, rogans & rogaturus omnium sospitatorum, ut porro te Ecclesiæ DEI nobisque diu velit servare incolumem. Quod filiorum tuorum studia attinet, cum cum ipsis institui ordinem, quem confidam profectui ipsorum fore accomodum. In Hebræis eousque, ut video, profecerunt, sicut & in Græcis, ut in utriusque testamenti lectione inoffensè versari possint. Eam ergo quotidianam illis injunxi, idque ita: ut lecta animadvertasque mihi in singulos dies recitent, quod nec gravatè nec negligenter faciunt. Et ut ex lectione veterum aliquid degustent, Augustinum propolui, alteri libros de civitate DEI, quod multiplicem, ut nosti, rerum variarum doctrinam contineant: alteri